



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio III. De Dispensatione in impedimento Matrimonii obtenta, cujus  
petitio per errorem perperam fuit formata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

n. 487. quia per indirectum læderetur Ecclesia vel Clericus, non per accidens tantum, qui propterea deberet tantò carius emere. Ad Confirmationem negatur paritas; quia exteris Laicis per tale statum non adimitur jus aliunde competens; bene tamen Clericis, quorum proin læderetur libertas, & Jus tam Civile quàm Canonicum, utique non sine peccato.



## TITULUS III.

### De Rescriptis.

#### DECISIO III.

De Dispensatione in impedimento Matrimonii per Rescriptum obtenta, cujus petitio per errorem perperam fuit formata.

#### SPECIES FACTI.

**A**dolphus Majerus statuerat contrahere Matrimonium cum Anna Crusia, at quia ipsi obstabat affinitas in tertio gradu cum hac puella, dispensationem super hoc impedimento per tertium quemdam impetrari Romæ sibi voluit. Sed iste tertius partim per incuriam partim per imperitiam non debito modo efformavit petitionem; nam loco *Adolphus* scripsit *Rudolphus*, & loco *affinitatis* posuit impedimentum *consanguinitatis*, diœcesin verò *Annæ*, seu locum originis, quam Anna habuit diversam à diœce-

si *Adolphi*, non expressit, imò haud obscure insinuavit, utriusque originem & diœcesin esse eandem. Unde Roma, quæ solet in his casibus dispensationem, vel hujus executionem committere Ordinario sponsæ, Rescriptum misit ad Ordinarium *Adolphi*, rata, eundem esse Ordinarium etiam sponsæ quoad originem; nam in dispensationibus matrimonialibus Roma attendere solet locum originis, non domicilii, nisi Oratores expressè velint Rescriptum dirigi ad Ordinarium domicilii. Unde oriebat̃ur

*Questio.*



## QUÆSTIO.

*An Ordinarius Adolphi potuerit exequi hoc Rescriptum, & dispensare in impedimento affinitatis, non obstante, quòd debitum nomen Oratoris, & verum impedimentum, ac dice-  
cessis Annæ genuina, non fuerint expressa in  
petitione?*

**A**ffirmabis fortè, eò quòd ex u-  
na dolus non intervenerit, sed  
simplex error, ex altera verò parte  
id, quod falso fuit expressum, aut ex  
ignorantia omissum, non pertinuerit  
ad substantiam, neque causa finalis  
fuerit Rescripti, & concessæ dispen-  
sationis; cùm rei veritate ritè exposi-  
tâ nihilominus Roma petitam gratiam  
dispensationis indulgisset. Ac

Imprimis quidem, quòd error cir-  
ca nomen proprium Oratoris nihil ob-  
fuerit, colligitur tum indè, quòd,  
quando constat de corpore, haud  
multùm curandum sit de nomine.  
Sanch. l. 8. de Matrim. d. 21. n. 37. ubi  
ait, errorem nominis absque dubio  
non vitare dispensationem. Consen-  
tit Diana Tract. 10. de Legib. resol. 36.  
tum ex §. Siquis in nomine Inst. de  
Leg. ibi: Siquidem in nomine Sc. Le-  
gatarii testator erraverit, si de Persona  
constat, nihilominus valet legatum. No-  
mina enim significandorum hominum gra-  
tiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo  
intelligentur, nihil interest. Confir-  
matur: Si pro Antonius scribatur An-  
toninus, pro Bernardus autem Bernar-  
dinus: item si quis vocetur Franciscus  
Antonius, & se scribat duntaxat Fran-

ciscum, non vitatur Rescriptum, teste  
Pyrho Corrado in Praxi dispensatio-  
num Apost. l. 7. c. 5. n. 8. cum Bart.  
Conf. 179. text. in l. 1. C. de Leg.

Quòd autem nihil offererit, quòd  
loco affinitatis expressum fuerit consan-  
guinitatis impedimentum, conjicere  
licet exinde, quòd consanguinitas vi-  
deatur esse majus, & minus dispen-  
sabile impedimentum, quàm affinitas  
in pari gradu: item ex eo, quòd  
consanguinitas, & affinitas in ordine  
ad concedendam dispensationem non  
differant specie. Cajet. dist. 18. q. 3. n. 4.  
conclus. 8. nec jura & emolumenta Of-  
ficialibus debita per alterutrius expres-  
sionem mutantur. Confirmatur: Si Cur-  
ria Romana rescribens committat erro-  
rem, ponendo v. g. consanguinitatem pro  
affinitate, aut vicissim (vel Petrum no-  
minando Paulum) non vitatur Res-  
scriptum, & executioni dari potest,  
modò sufficienter constet, aut pro-  
betur Delegato, quòd à supplicante  
omnia sint ritè exposita. Gobat Tr.  
9. Theol. Exper. à n. 635. cum aliis  
ibi allegatis, la Croix l. 1. n. 810. &  
l. 6. p. 3. n. 936. cum Dian. Laym. P. Kri-  
mer, & P. Karchne, quia tenor Rescri-  
pti regulandus est ex tenore supplicæ,  
cùm



cùm concessio Principis reguletur à petitione subditi. *de Jusis L. 1. c. 6. n. 158.* ex decisionibus Rotæ. ergo nec vitiat, si supplicans talem commisit errorem.

Quòd denique genuina & distincta originis Annæ diœcesis non satis expressâ nihil faciat, docet Sanchez *l. 8. d. 35. n. 5.* & ampliùs Diana *lo. cit. resol. 36.* ubi ait, positivum errorem circa diœcesim, unam pro alia nominando, non obesse. Rationem suæ doctrinæ dat Sanchez hanc; quia alteruter Ordinarius, sive sponsi sive sponsæ, dispensare cum utroque potest super denuntiationibus Matrimonio præmittendis, propter connexionem: ergò, modò unius, etiam sponsi, genuina diœcesis exprimitur, propter connexionem, quæ datur inter sponsum & sponsam, etiam Rescriptum valebit. Et hoc, ait idem Sanch. constat ex praxi, & nunquam utriusque diœcesis explicatur.

Verùm his non attentis negativè resolvendum est, & quidem ex omni triplici capite Rescriptum pro Ob- & Subreptitio habendum, ita ut valor Rescripto, & potestas exequendi neganda sit Delegato Ordinario. Ex capite 1. quidem seu ratione *veri nominis* non expressi; quia juxta *stylum* & *praxim* Curiæ & Cancellariæ Romanæ, quem omnibus Curialibus notum esse dicit Corrad. *lo. cit. n. 9.* propria Oratorum nomina exprimi debent. Corrad. *n. 3.* ex ratione, ut fraudibus occurratur, quas omnia Jura cavere volunt, specialiter in impetrandis

Rescriptis. *c. Sedes. c. ex tenore de Rescr.* consequenter & *de Jure* exprimi debent nomina propria. Sed Stylus Curiæ est pro lege servandus. *c. quàm gravi de crim. falsi.* præsertim Cancellariæ Romanæ. Felin. in *c. 1. de Rescr.* quia sic jubet Pontifex, qui in calce Regularum Cancellariæ non concedit Vice-Cancellario, aut Regenti Cancellariæ corrigere nomina propria Oratorum, licèt de corpore constet. Et si ea, quæ secundùm Curiæ Stylum, vel secundùm Jura exprimi debent, à supplicantibus non exprimantur, vitiat Rescriptum juxta communem DD. & *c. quàm gravi cit.* Concordat *text. & gl. in c. 23. y. taceatur de Præb. in 6.* textus enim habet, vitari Rescriptum gratiæ ad beneficium, si supplicans reticuit beneficium, ut ut modicum, quod habuit, licèt Papa, eo etiam expresso, Rescriptum tamen concessisset.

Ex capite II. autem, nimirum ratione *erroris in allegato impedimento* commissi; quia iterum Stylus Curiæ exigit verum impedimentum exprimi. Pyrrh. Corrad. *lo. cit. n. 71. & seqq.* Adde, quòd dispensatio in impedimento consanguinitatis non sit dispensatio in impedimento affinitatis, sicut hæc ipsa impedimenta sunt diversa, ac secundùm se differunt specie, nec unum includitur in altero: dispensatio autem, cùm sit odiosa, extendi nequeat ad casum diversum, nisi detur par, vel etiam major ratio pro casu altero, Felin. in *c. Postulasti de Rescr.*

Ex



Ex capite III. demum, seu ratione non expressæ originis & diœcesis ex parte Annæ. Siquidem juxta notorium Curia Stylum teste eodem Corrado n. 25. 26. debet utriusque, tam Oratricis quàm Oratoris, si diversa sit, diœcesis genuina exprimi, ita ut ad Ordinarium Oratricis mittatur Rescriptum, eique committatur executio.

Nec aliud evincunt patrocina pro valore Rescripti adducta. Quod enim spectat ad mutationem nominis proprii, licet de Jure Civili error nominis, ubi constat de persona & corpore, non curetur; curatur tamen, ubi Stylus Curia proprium exprimi nomen requirit, præsertim fundatus in generali periculo fraudis, quale ex mutato nomine dari posset. Pyrrhum Corradum in hoc puncto, utpote magis versatum in Curia Romana, ubi fuit Officialis dispensationum Apostolicarum in Cancellaria Romana, censeo præferendum Sanchezio in hac parte. Ad confirmationem ajo, illos errores minoris esse considerationis, & ideo primum, ubi diminutivum *Antoninus* ponitur pro *Antonius*, &c. quia facile id potest contingere, tolerari quidem in Curia & Rescripto per Officiales; at ut supplicans utatur diminutivo, non patitur Stylus Dataria & Cancellaria Romana, ut notat Corradus n. 23. Siquis autem gemino appelletur nomine, *Franciscus Antonius*, verè adhuc se scribit supplicans *Franciscum*, dissimulato altero nomine, ut adeò istud non solum in Curia rescri-

bente, sed etiam in Oratore supplicante toleretur.

Ad errorem circa speciem impedimenti quod attinet, nulla ratio prævalere potest Stylo Curia recepto, qui regulæ instar observandus est, maximè ubi versamur in materia odiosa, qualis est Dispensationum; in his enim nec majoritas rationis sufficit ad extensionem: & hinc error, ut culpâ carens, non facit, ut Rescriptum extendatur ad casum, qui sub verbis non comprehenditur, licet, si pro eo supplicatum fuisset, litteræ similiter vel etiam faciliùs fuissent concessæ. Innoc. in c. *super litteris n. 3. de Rescr.* Ad Confirmationem *trans. antec.* quod negat Corradus n. 72. *seqq.* cum Sanchez l. 8. d. 24. n. 10. Paritas tamen negatur, & *co. s.* si enim supplicans debite expressit verum, quod subest, impedimentum, rectè præsumitur, Pontificem, vel ejus Substitutum, satis percepisse impedimentum, & in hoc juxta tenorem supplicationis intendisse dispensationem concedere, vel delegare, nimisque foret difficile Oratori, qui ritè omnia expressit, propter errorem scribæ novam petere dispensationem, & dispensationem in impedimento proposito concedere intendenti præsumptivè constet, ex qua voluntate valor Rescripti unice pendet. Econtra, si supplicans per errorem exprimat impedimentum unum pro alio, Rescribens præsumitur solum dispensationem concedere velle in eo, quod expressum est; quod cum non

subsit,



subsit, ad aliud dispensatio, utpote odiosa, non debet extendi.

Demum ad omissam *diocesim* Annæ quod pertinet, Sanchezio iterum præfero Corradum ob dictam rationem, qui testatur de notorio Stylo & Praxi Curia in contrarium. Paritas, quam affert Sanchez, non stringit, quia & Jura & Praxis concedunt, ut in denuntiationibus Matrimonialibus dispenset alteruter Episcopus, sive sponsi sive sponsa; Praxis autem & Stylus Curia, adeoque & mens Pontificis, determinatè Ordinario Oratricis committi volunt dispensationes Matrimoniales: hoc autem fieri nequit, si genuina Oratricis diocesis non exprimat; consequenter nec Rescriptum Ordinario Oratoris exequi licet.

Oppones adhuc 1. Juxta c. 7. *h. t. in 6.* non inficitur Rescriptum per reticentiam beneficii, quod alicui collatum erat ignorant, si illud fuit tale, ut etiam eo expresso nihilominus Papa concessurus fuisset Rescriptum; non obstante, quòd aliàs à petente beneficium exprimi debeat beneficium etiam tenue, si quod habeat: ergo etiam, licèt in nostro casu non omnia fuerint expressa, ut oportuif-

set, cum tamen talia sint, ut Papa nihilominus dispensationem concessisset, licèt debitè fuissent proposita, tamen Rescriptum & ejus executio tenebit. 2. Juxta c. 8. *de Præbend. in 6.* non vitatur Rescriptum per reticentiam defectus Ordinis ad beneficium, quod petebatur, requisiti, si impetrans eum intra annum possit recipere: ergo. R. ad 1. *N. conf. & parit.* Siquidem stylus Curia non exigit, ut petens litteras beneficiales exprimat beneficium, vel jus in beneficio necdum absolutè acquisitum: sed, cui collatum est beneficium ignorant, necdum habet jus absolutè quæsitum, quod sine acceptatione non acquiritur; ignorans enim acceptare non potest. Econtra Stylus Curia exigit illa, de quibus præsens est casus, ritè exprimi à supplicante. Ad 2. Hoc ipso, quòd secundum Jura sufficiat ad obtinendum beneficium, cui certus Ordo est annexus, si quis illum intra annum possit ac velit suscipere, reticere potest defectus talis Ordinis nunc nondum suscepti, cum nec Jus nec Stylus Curia requirant exprimi hunc defectum. Aliter se res habet in nostra facti contingentia.



TITU-